[h]inc omnis pe[ndet Lucilius] hosce secutus
[m]utatis tantum pedibus numerisque facetus
[e]munctę naris durus componere versus
[n]am fuit hic vitiosus. in hora sepe ducentos
[u]t magnum versus dictabat stans pede in uno
[c]um flueret lutulentus. erat quod tollere velles
[g]arrulus. atque piger scribendi ferre laborem
[s]cribendi recte. nam ut multum nil moror. ecce
[C]rispinus minimo me provocat. accipe si vis
[a]ccipiam tabulas. detur nobis locus. hora
[c]ustodes. videamus uter plus scribere possit
[Di] bene fecerunt inopis me quodque pusilli
[f]inxerunt animi raro et perpauca loquentis
[a]t tu conclusas hyrcinis follibus auras
[u]sque laborantes dum ferrum molliat ignis
[u]t mavis imitare. beatus Fannius ultro
[d]elatis capsis et imagine. cum mea nemo
[s]cripta legat vulgo recitare timentis ob hanc rem
[q]uod sunt quos genus hoc minime iuvat utpote pluris
[c]ulpari dignos. quemvis media erue turba
[a]ut ob avaritiam aut misera ambitione laborat
[h]ic nuptarum insanit amoribus. hic puerorum
[h]unc capit argenti splendor. stupet Albius ere
[h]ic mutat merces surgente a sole ad eum quo
[v]espertina tepet regio. quin per mala preceps
[f]ertur uti pulvis collectus turbine. ne quid
[s]umma deperdat metuens aut ampliet ut rem
[o]mnes hi metuunt versus. odere poetas
[f]enum habet in cornu. longe fuge. dummodo risum
[e]xcutiat sibi non hic cuiquam parcet amico
[e]t quodcumque semel chartis illeverit omnis
[g]estiet a furno redeuntis scire lacuque
[e]t pueros et anus. age dum pauca accipe contra
[p]rimum ego me illorum dederim quibus esse poetas
[e]xcerpam numero. neque enim concludere versum

[Q]uesiere quidam. nam acer spiritus ac vis
[n]ec verbis nec rebus inest nisi quod pede certo
[D]iffert sermoni sermo merus. at pater ardens
[S]evit quod meretrice nepos insanus amica
[F]ilius uxorem grandi cum dote recuset
[E]brius et magnum quod dedecus ambulet ante
[N]octem cum facibus. numquid Pomponius istis
[A]udiret leviora pater si viveret. ergo
[N]on satis est puris versum perscribere verbis
[Q]uem si dissolvas. quivis stomachetur eodem
[Q]uo personatus pacto pater. his ego que nunc
[O]lim que scripsit Lucilius. eripias si
[T]empora certa modosque et quod prius ordine verbum est
[P]osterius facias preponens ultima primis
[N]on ut si solvas. postquam Discordia tetra
[B]elli ferratos postes portasque refregit
[I]nvenias etiam disiecti membra poete
[H]actenus hec. alias iustum sit necne poema
[N]unc illud tantum queram meritone tibi sit
[S]uspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
[A]mbulat et Caprius rauci male cumque libellis
[M]agnus uterque timor latronibus. at bene si quis
[E]t vivat puris manibus contemnat utrumque
[U]t sis tu similis Celi Birrique latronum
[N]on ego sim Capri neque Sulci. cur metuas me
[N]ulla taberna meos habeat neque pila libellos
[Q]uis manus insudet vulgi Hermogenisque Tigelli
[N]ec recito cuiquam nisi amicis. idque coactus
[N]on ubivis coramve quibuslibet. in medio qui
[S]cripta foro recitent sunt multi quique lavantes
[S]uave locus voci resonat conclusus. inanis
[H]oc iuvat. haud illud querentis num sine sensu
[T]empore num faciant alieno. ledere gaudes
[I]nquit et hoc studio pravus facis. unde petitum
[H]oc in me iacis. est auctor quis denique eorum

[...] cenare quaternos.
Quibus unus auet quauis aspergere cunctos
Preter eum qui prebet aquam. post hunc quoque potus
Condita cum uerax aperit precordia liber
Hic tibi comis et urbanus liberque uidetur
Infesto nigris. ego si risi quod ineptus
Pastillos Rufillus olet. Gorgonius hircum
Liuidus et mordax uideor tibi? mentio siqua
De Capitolini furtis iniecta Petilli
Te coram fuerit. defendas ut tuus est mos
Me Capitolinus conuictore usus amicoque
A puero est. causaque mea permulta rogatus
Fecit et incolumis letor quod uiuit in urbe
Sed tamen admiror quo pacto iudicium illud
Fugerit. hic nigre succus lolliginis. hec est
Erugo mera. quod uitium procul afore chartis
Atque animo prius ut si quid promittere de me
Possum aliud uere promitto. liberius si
Dixero quid. si forte iocosius. hoc mihi iuris
Cum uenia dabis. insueuit pater optimus hoc me
Ut fugerem exemplis uitiorum queque notando.
Cum me hortaretur parce frugaliter atque
Viuerem uti contentus eo quod mi ipse parasset
Nonne uides Albi ut male uiuat filius. utque
Baius inops. magnum documentum ne patriam rem
Perdere quis uelit. a turpi meretricis amore
Cum deterreret. Scetani dissimilis sis.
Ne sequerer moechas. concessa cum uenere uti
Possem. deprensi non bella est fama Treboni
Aiebat. sapiens uitatu quidque petitu
Sit melius. causas reddet tibi. mi satis est si
Traditum ab antiquis morem seruare tuamque
Dum custodis eges uitam famamque tueri
Incolumem possum. simul ac durauerit etas
Membra animumque tuum. nabis sine cortice. sic me

[...]it atque ille. auidos uicinum funus ut egros
Exanimat. mortisque metu sibi parcere cogit
Sic teneros animos aliena opprobria sepe
Absterrent uitiis. ex hoc ego sanus ab illis
Perniciem quecumque ferunt. mediocribus et quis
Ignoscas uitiis teneor. fortassis et iste
Largiter abstulerit longa etas. liber amicus
Consilium proprium. neque enim cum lectulus aut me
Porticus excepit. desum mihi. rectius hoc est
Hoc faciens uiuam melius. sic dulcis amicis
Occurram. hoc quidam non belle. numquid ego illi
Imprudens olim faciam simile. hec ego mecum
Compressis agito labris. ubi quid datur oci
Illudo chartis. hoc est mediocribus illis
Ex uitiis unum. cui si concedere nolis
Multa poetarum ueniat manus auxilio que
Sit mihi. nam multo plures sumus. ac ueluti te
Iudei cogemus in hanc concedere turbam.

Describit iter suum ad Brundisium sermo vi.

Egressum magna me excepit Aricia Roma
Hospitio modico. rethor comes Heliodorus
Grecorum longe doctissimus. inde forum Appi
Differtum nautis cauponibus atque malignis
Hoc iter ignaui diuisimus. altius ac nos
Precinctis unum. minus est grauis Appia tardis.
Hic ego propter aquam quod erat deterrima uentri
Indico bellum. cenantes haud animo equo
Expectans comites. iam nox inducere terris
Umbras et celo diffundere signa parabat.
Tum pueri nautis. pueri conuicia naute
Ingerere. huc appelle. trecentos inseris. ohe
Iam satis est. dum es exigitur. dum mula ligatur.
Tota abit hora. mali culices raneque palustres
Auertunt somnos. absentem ut cantat amicam
Multa prolutus uappa nauta atque uiator